

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica cantate

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

mnium rerum satietas est, ut rectè dixerit, Sapientissimus mortalium: Vanitas vanitatum & omnia vanitas. Eccles. 1. v. 2.

Interim hoc solatium nobis restat, quod in cælo Christum, & in Christo visuri sumus, *summam Majestatem*, quoniam Sol & clypeus est Dominus, Psal. 84. v. 12. *summam utilitatem*, omnia enim secum Dominus donabit, Rom. 8. vers. 22. *summam jucunditatem*, nempe abundantiam gaudiorum, cum vultu ejus. Psal. 16. v. ult.

2. *Ratione exultationis*, Et gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

Plutarchus recenset de muliere quadam Lacedæmonica, quod filium è prælio remanentem, & de vulnere pedis conquerentem his verbis erexerit: *Fili, si memineras virtutis, haud dolebis.*

Multò æquius nos dicere poterimus: ô afflicte Christiane, *si memineras promissionis Christi, haud dolebis!* gaudium enim, quod sequetur, erit æternum, quo plenissimè ex-

saturatus, cum Josepho dicere poteris: Oblivisci me fecit Deus, omnium laborum meorum. Gen. 41. v. 51.

3. *Ratione perfecta cognitionis*. Et in illo die non interrogabit me quicquam, ait Christus. In hoc mundo plerumque filii hujus seculi prudentiores sunt, filiis lucis, Luc. 16. v. 8. Sed in futura vita Dominus electos suos tantâ sapientiâ & cognitione repleturus est, ut omnia sciant & intelligant, quæ in hoc mundo oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis ascenderunt, 1. Cor. 2. v. 9. Non enim docebit ultrâ vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens: cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me, à minimo eorum, usque ad maximum, dicit Dominus. Jer. 31. v. 34. Ad hoc cæleste gaudium, & perfectionem hanc evchere nos dignetur DEUS ter Opt. Max. per Dominum & Salvatorem nostrum Jesum Christum!

Amen, Amen.

* * *

Dominica Cantate.

Evangelium Ioh. 16. v. 5. --- 15.

EXORDIUM.

CUM DEUS ter Opt. Max. peculiare fœdus pacturus esset cum Abrahamo, sacrificium ejus incendebat, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter divisiones illas. Gen. 15. v. 17.

Hæc historia Allegoriam nobis subministrat.

Peccata nos & Deum nostrum dividerant, Esa. 59. v. 2. Sed per Christum inimicitia sublata, & inter Deum & homines novum fœdus ininitum est. Jer. 31. v. 31. ut gratificati simus in dilecto, Eph. 1. v. 6. & offerre possimus sacrificia in iustitia, quæ placebunt

Domino, sicut in diebus antiquis, & sicut in annis prioribus, Mal. 3. v. 4. quod comprobatur charitas Dei, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, Rom. 5. v. 5. qui quasi inter utramque partem transivit, velut flamma amoris cælestis, & illud ratum jussit, quod Christus per abitum suum ad Patrem acquisivit, & discipulis suis multis modis promissit, sicut in specie audimus in Evangelio prælecto, in quo eos promissione hæc erigit, inquit: Expedit vobis, ut ego vadam.

Si

Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos, & sic consequenter.

Proinde præsens Evangelium, justum locum, quoad anni tempus, occupat: Concludit enim q̄. festū Paschatos, & præparat ad Pentecosten, ubi de visibili Spiritus S. effusione prædicare solemus, qui in ignis specie Apostolorum linguas occupavit, & adhuc hodie in corda fidelium mittitur, velut spiritus adoptionis, in quo clamamus, Abba, pater. Rom. 8. v. 15.

Nos absq; ulteriori præfatione ipsā Evangelii tractationē accessuri, discimus ex ipso:

I. Ἀγγελιαγωγίας sive notitiam nostri.

II. ἀγγελιαγωγίας, sive notitiam Christi.

J. J.

Exegesis.

Quemadmodum ultima parentum verba, quæ proximè ante beatum suum ex hoc mundo discessum, ad liberos loqui amant, plerumq; accuratā animadversione digna sunt: Sic etiam Servator noster piētissimus, proximè ante passionem & mortē suam ad discipulos & Apostolos suos egregiam concionem valedictoriam habuit, quæ semper in Ecclesia plurimi facta est: unde quoq; Majores nostri inducti fuerunt, ut eam plurimā ex parte, secundum seriem partiti sint in singulas ferè Dominicas, inter festum Paschatos & Pentecostes interjacentes. Sicut etiam præsens Evangelium ad illam pertinet, in quo Servator noster Apostolis suis, verbis solatio plenissimis de passione & morte sua concionatur, eamque abitum ad patrem appellat, & simul ostendit, quantam hinc utilitatem expectare debeant; per hunc enim sese ipsis impetratum esse Spiritum Sanctum, ut eorum

Consolator in calamitate, Doctor in ruditate, & ductor in veritate esse debeat.

Der Sie in Trübsal trösten sol
Und lehren GOTT erkennen wol /
Und in der Wahrheit leiten.

Ad Ἀγγελιαγωγίας, sive notitiam nostri perdiscendam occasionem habemus, quando perpendimus:

I. *Abitus Christi denunciationem.* Nunc autem, inquit, vado ad eum, qui misit me, quo ipso intelligit:

1. *Abitum passionis.* Quemadmodum enim Pontifex summus V. T. anniversariè semel sanctuarium ingredi & populum Deo expiare tenebatur, Exod. 28. v. 29. Sic etiam Christus ceu verus Novi Testamenti summus Sacerdos, semel sancta intravit, æternā redemptione repertā, Hebr. 9. v. 12.

Quod si itaque cum Davide conquere- ris: Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt, super me, Psal. 38. v. 5. recordare abitus hujus Christi, & requiem animæ invenies, Col. 1. v. 14.

2. *Abitum resurrectionis,* tertio enim die è sepulchro resurgens produit, velut victoriosus triumphator, qui destruxit mortem, & illuminavit vitam & incorruptionem. 2. Timoth. 1. v. 10. Omnia enim in nostri gratiam facta sunt, *Meum est, quod cecidisti, meum est, quod resurrexisti*, ait Augustinus: Nos ad imitationem ejus dicamus:

Membrum tuo sum corpore,

Sustentor hoc honore:

Nos non valet sejungere,

Horrenda mors dolore:

Si mors rapit, rapit tibi,

Est vita parta nam mihi,

Perpes tuo cruore.

Tu

Tu morte suscitatus es,
Nec hâc ego tenebor:
Tuus salus adscensus est,
Morti per hanc medebor:
Ubi manens hâc ivero,
Semperque tecum vixero,
Hâc latus exciebor.

Ich bin ein Glied an deinem Leib/
Des tröst ich mich von Herzen/
Von dir ich ungescheiden bleib/
In Todes-Noth un' Schmerzen:
Wenn ich gleich sterb' so sterb ich dir/
Ein ewiges Leben hastu mir/
Mit deinem Tod erworben.
Weil du vom Tod erstanden bist/
Werd' ich im Grab nicht bleiben.
Mein höchster Trost dein Aufarth ist/
Todesfurcht kanstu vertreiben.
Denn wo du bist/da komm ich hin/
Dass ich stets bey dir leb' und bin/
Drum fahr ich hin mit Freuden.

3. *Abitum adscensionis*, quem quadragesimâ post resurrectionem die exantlavit, Act. 1. v. 3. *Non, ut abesset, sed ut presentius adesset*, ut Augustinus ait. Adscendit enim super omnes caelos, ut adimpleret omnia. Ephel. 4. v. 10. Matth. 18. v. 20.

Sicut autem Christus Apostolis suis saepe de abitu suo prædicavit; ita & nos ad exemplum ejus, omnibus diebus, horis & momenti mortem nostram meminisse debemus. Testamentum enim hujus mundi, morte morietur. Sir. 14. v. 13. Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram. 2. Sam. 14. v. 14.

Quilibet hic inspicat sese, utrum ultimum hunc abitum subinde sibi in mentem revocaverit, sicut Christus exemplo suo nobis prævit?

Reperiuntur, quæ rarius de morte cogi-

tant, idèd libentius ad domum convivii, quàm ad domum luctus eunt, Ecclef. 7. v. 3. Sed stolidè agunt: Exempla enim testantur, neminem hîc exemptum, sed perstat, super Protoplastos, eorumq; posteros lata sententia: Terra es, & in terram reverteris. Gen. 3. v. 19.

Moriuntur divites, ut Nabal, 1. Sam. 25. v. 38. obeunt pauperes, uti Lazarus, Luc. 16. v. 22. Occumbunt senes, sicut Methusalem, Gen. 5. v. 27. Discedunt pii, ut Abel, Gen. 4. v. 8. Obeunt sapientes, ut Salomo, 1. Reg. 11. v. 43. Abeunt fortes, ut Simson, Jud. 16. v. 30. Oppetunt adolecentes, uti juvenis Nainiticus, Luc. 7. 32. Exstinguuntur virgines, ut filia Jairi, Matt. 9. 18. Pereunt viri, uti Abraham, Gen. 25. 8. expirant mulieres, uti Sara, Gen. 23. 1. Summatim: Quis est homo, qui vivet, & non videbit mortem? Ps. 88. 49.

Quinimò & hora mortis incerta est, Ecclef. 9. v. 12.

Hoc sedulò nobiscum revolvere debemus. *Qui enim se moriturum quotidie recordatur, presentia contemnit, & ad futura festinat*, ait Hieronymus. Nempe ad destinatum scopum, ad bravium supernæ vocationis Dei, in Christo Jesu, Phil. 3. v. 14.

II. *Discipulorum perturbationem*. Propterea enim Christus reprehendit discipulos & ait: Nemo ex vobis interrogat me: quò vadis? Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.

Exterius si Apostolos intueamur, tristitia eorum non adèd culpanda videtur, siquidem nullâ cum Christo inopiâ laboraverant, ut ipsimet fatentur. Nonne filius parentes per mortem abreptos desiderat? At illi concionum Christi, in quibus reditum ipsis promiserat, recordari debuissent. *Dass wiederkommen macht / dass man des*

Schick

Scheidens nicht groß acht. Dixerat enim Christus: Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis: attamen cor ipsorum implevit tristitia, quam tam verbis, quàm gestibus ostendunt.

Hic examines velim te, annon & ipse obitum & abitum tuorum iniquius tuleris, & in lugendo modum excesseris?

Hoc sæpe accidit, cum primis apud eos, qui rem non rectius expendunt, & fortè dubitant, utrum beatè defuncti in quiete degant, & miseriarum hujus vitæ obliiti sint, secus enim beatitudinem, quam consequuti sunt, ipsis minus inviderent, sed potius cum Davide dicerent: Ego vadam ad eum, ille verò non revertetur, ad me. 2. Sam. 12. v. 13.

Pii Christiani respiciunt *Dei ordinem*, qui constituit unicuique terminum vitæ, quem præterire non poterunt, Hiob. 14. v. 5. Unde David: In manibus tuis tempora mea sunt, Psalm. 31. v. 16. Rom. 14. v. 7.

Reminiscantur felicissimæ vicissitudinis, quam beatè in morte decedentes subeunt. In hoc mundo locum habet, illud Christi: In mundo pressuram habebitis, Joh. 16. v. ult.

Impii lugeant, & dicant, cum Posthumio Equite Arragoniæ:

Quò vadam, nescio: invitus morior: valete Posthumi.

At nos Christiani, in morte sperare, Proverb. 14. v. 32. & cum Stephano dicere possumus: Video cælos apertos, Act. 7. v. 56. Christus enim nobis viam aperuit, & per abitum suum ad Patrem locum præparavit, ut ubi ille est, & nos simus. Joh. 14. v. 3.

Hoc solatio erigebat s. Hiob, Job. 19. v. 25. David, Psalm. 42. v. 1. 2. Paulus, Phil. 1. 23.

Pari modo & nos mortis metum excutientes, canamus:

Valeto, mundus es,
Haud tu mihi places,
Vitam scio beatam,
Quò mitto spiritum,
Hanc expeto paratam,
Mori meum lucrum.
Ade du schnde Welt/
Dein Thun mir nicht gefält/
Ich weiß ein besser Leben/
Da meine Seel fârth hin/
Des freu ich mich gar eben/
Sterben ist mein Gewinn.

Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus tabernaculi dissolvatur, quò ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, sed æternam in cælis. 2. Cor. 5. v. 1.

III. *Fructus indicationem*, ait enim Servator: Expedi vobis, ut ego vadam, si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos.

Tristis & infaustus abitus erat Protoplastorum in Paradiso, ad arborem interdiktam. Proptereà enim postea,

Bb loco

Hic vallis Hic scena amaritudinum, *est miseria*
Erumenta Angoris, & discriminum, *dolor undique*
est vita nostra Dies breves hinc ducimus, *perbrevis*
Suble- In luctibus, *gubris*
Perpetui In lucta idem perpendimus. *certaminis*

Es ist alhie ein Jammerthal/
Angst, Noth und Trübsal überall/
Des Bleibens ist ein kleine Zeit
Voll Mühseligkeit!

Un wêrs bedeneckt ist inmer im Streit.

Sed beati mortui! qui in Domino moriuntur. Apoc. 14. v. 13.

loco pœnæ, paradiso exterminati, cum Diabolis in infernum abire, & pœnas dare debuissent, interitum æternum, à facie Domini, & à gloria virtutis ejus. 2. Theff. 1. v. 9. Sed misericordiam consequuti sunt propter Christum, qui de cœlo descendit, abitum hunc dolorosissimum perficiens, quò restitueret, quod Protoplasti per *abitum suum* perdididerant. Ideoque hic dicit, expedit vobis, ut ego vadam.

Verè expedit nobis, *primò, privativè*, respectu malorum, quæ à nobis avertit, dum peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, 1. Petr. 2. v. 24. & hoc ipso emundat conscientiam nostram, ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi, Hebr. 9. v. 14. *Deinde, positivè*, respectu boni, quod acquisivit nobis, Justificati enim fide, pacem habemus apud Deum. Rom. 5. v. 1. Et Spiritus Sanctus, quem effundit in nos, testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Rom. 8. v. 16. Hoc duplex illud est, quod de manu Domini suscepimus. Esa. 40. v. 2.

Sed vocula *vobis* probè observanda est. Vobis expedit, ait Dominus, qui discipuli mei estis. Quamvis enim Christus peccata totius mundi verè tulit, & expiavit, attamen hoc illis tantùm applicatur, qui verà fide meritum ejus apprehendunt. Sanctis qui sunt in terra, & præstantibus, in quibus est omne beneplacitum meum, Psalm. 16. v. 3. Quo ipso non modo Patriarchas in V. T. & sanctos in N. Test. intelligit: sed omnes eos, qui in Christum baptizati, & sanguinis ejus conspersione à peccatorum colluvie mundati sunt, velut ipse ita sese explicat, Joh. 17. v. 19.

Hic velim probes te, mi Christiane! an

etiam in eorum numero sis, de quibus hic Christus ait: Expedit vobis ut ego vadam?

Hæc res est magni momenti. Christus habebat duodecim Apostolos & septuaginta discipulos, sed præter hos adhuc alios habet, qui nimirum verbum ejus audiunt, & vitam juxta illud instituunt, ut ipse testatur, Joh. 8. v. 31, 32.

Quod si igitur Christi discipuli esse vultis, honoretis oportet magistrum vestrum. Vos vocatis me magister & Domine, & bene dicitis: Sum etenim, ait ipse, Joh. 13. v. 13. Ut igitur discipuli præceptores suos honore afficiunt, sic & nos Christum venerari debemus. Est Doctor eruditæ linguæ, Esa. 50. v. 4. qui viam Dei in veritate docet, Matth. 22. v. 16. Præmium certo certius sequetur, juxta illud, 1. Sam. 3. v. 30.

Si discipuli Christi esse vultis, eum sequamini & obeditis oportet. Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te, Mich. 6. v. 8. Esa. 1. v. 19, 20.

Si discipuli Christi esse vultis, insignia ejus spernere quoque non debetis. Discipulus enim non est supra magistrum. Sicut igitur ipse pauperiem, famem, ignominiam & persecutiones in hoc mundo sustinuit, donec occisus & in ligno suspensus est, Act. 10. v. 39. Neque nos similem fortunam reculemus, sed communicantes ejus passionibus gaudeamus, 1. Petr. 4. v. 13.

Interea Spiritus S. infirmitatem nostram adjuvabit, Rom. 8. v. 26. ut sub cruce bonam militemus militiam, 1. Tim. 1. v. 18. & dignè ambulemus, Deo per omnia placentes, Col. 1. v. 10. dum latam vocem audiamus: Euge bone serve! Matth. 25. v. 21. Nam, ubi ego sum, & minister meus erit, ait ipse Joh. 12. v. 26.

De Se-

De Secundo.

Accedemus nunc ad alteram partem, *Xριστολογιας*, sive notitiam Domini nostri Iesu Christi contemplaturi. Proponitur autem nobis Servator noster in Evangelio hoc:

I. *Tanquam Spiritus Sancti impetrator.* Dicit enim Servator ipse: Veritatem ego dico vobis: expedit vobis, ut ego vadam, si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos.

Quantum hoc beneficium & donum sit, filii hujus seculi ignorant, terrena enim tantum sapiunt, Phil. 3. v. 19. & quando frumentum & mustum eorum multiplicata sunt, Psal. 4. v. 8. aut promptuaria eorum plena, educuntia de frumento in frumentum, Psalm. 144. vers. 13. Spiritum Sanctum non adeo desiderant, eine wolsespickte Sattel, Taschen voll Thaler oder Ducaten / ist ihr bester Tröster / ut Hiob de illis ait: quod putent aurum robor suum: & dicant obrizo: fiducia mea. cap. 31. vers. 24. Sed nos Christiani novimus, hoc optimum bonum esse, quod à Christo honorati sumus. Si quis enim spiritum Christi non habet, non est ejus, & quicumque spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei. Rom. cap. 8. v. 10. 14.

Inveniuntur homines profani, qui spiritus, ut vocant, familiares secum portant, in vitro, vel annulo, vel alio modo, ut commodum eis videtur.

Olim Parisiis quidam fuit, qui eosdem publicè venales exposuit, vitro instar fuci, muscæ, cantharidum, aut alterius alicujus insecti, conclusos: quorum virtutem ad

multas scientias, sine molestia addiscendas commendavit. Sed ut exempla probarunt, exitus plerumq; infelix est.

Bodinus refert, quod suo tempore nobilis Gallus, ejusmodi spiritum familiarem in annulo circumgestaverit, quem ab Hispano emerat: Quia verò spiritus ille sæpe eum fefellerit, pœnitentiâ ductum, in ignem eum projecisse, sed mente captum miserabiliter mortuum esse.

Veri Christiani provideant sibi, ne spiritui huic mendaci tantillum loci in cordibus suis relinquunt. Nil enim aliud agunt, quam quod in æternum exitium se præcipitant. 1. Tim. 6. vers. 9.

Sed optimus noster Servator, nobis verum spiritum familiarem impetravit, cujus beneficio ex omni animæ periculo liberati, gratiam & misericordiam consequi valemus. Regenerat enim nos: nonne gratia? Tit. 3. v. 5. illuminat nos: nonne gratia? Eph. 1. v. 18. sanctificat nos, nonne gratia? Rom. 1. vers. 4. Ducit nos in omnem veritatem, nonne gratia? Joh. 16. v. 13. adjuvat infirmitatem nostram, nonne pariter gratia? Rom. 8. v. 6. Magistratui adsistit, veluti spiritus sapientix, consilii, & fortitudinis. Sancto Ministerio, ut spiritus scientiæ & intellectus, Omnibus Christianis, ut spiritus timoris Domini, quò peccata declinare, & justè agere possint, Esai. 11. v. 2. Hæc gratia iterum magni facienda est, ideoque decet nos diligenter orare, ut eundem à Christo impetremus, Luc. 11. v. 13. & impetratum non amittamus Psalm. 143. v. 10.

II. *Tanquam Elenchi Ecclesiastici commendator.* Spiritus enim Sanctus arguet mundum, de peccato, & de justitia, & de judicio.

De peccato quidem, quia non crediderunt in me. De justitia verò, quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me. De judicio autem, quia princeps hujus mundi, jam judicatus est.

Hic Christus quasi tres classes constituit eorum, apud quos Spiritus Sanctus officium suum elencticum exequitur. Occurrunt enim

1. *Increduli*, qui consilium Dei spernunt adversus seipsum, Luc. 7. v. 30. Et Christum, mundi Salvatorem quasi abigunt, sicut Judæi & Ethnici fecerunt, cum in his terris visibiliter ambulavit. Hoc Christus κατὰ ἔξωθεν vocat peccatum, quia ἀπίστια fons est, ex quo cætera peccata omnia derivantur, sicut ex adverso fides fundamentum & origo virtutum omnium appellari potest, utpote, sine qua impossibile est, placere Deo, Hebr. 11. v. 6.

Caveamus, ne nos quoque hoc modo reprehensionem Spiritus Sancti incurramus, Hebr. 3. v. 12. seqq.

2. *Justitiam*, qui meritis suis nituntur, justitiam, quam nobis Christus abitu suo, h. e. passione, morte, resurrectione & ascensione acquisivit, non querere nec recipere volunt, quod eo tempore fecerunt Pharisei & falsi Apostoli, de quibus Paulus queritur, Rom. 10. v. 3.

Hodie in hanc Classem referendi sunt Pontificii, qui similiter misso Christi abitu per opera sua salutem acquirere satagunt, eum tamen in nullo alio salus, nec aliud nomen sub celo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Act. 4. v. 12.

Hoc arguit Spiritus Sanctus, & vocat Pharisæicam hanc justitiam pannum menstruatum, Esa. 64. v. 6. imò expressè dicit, quod justitia nostra plus abundare debeat,

Matth. 5. v. 20. Ideo Justitiam hisce sprete, cum Esaia gloriemur: In Domino justitia & fortitudo mea, Esa. 45. v. 24. Christus enim à Deo nobis factus justitia, 2. Cor. 5. v. 21. alium enim insequentes, multiplicarunt molestos labores suos, Psalm. 16. vers. 4.

3. *Episcopi de grege porci*, qui securè in diem vivunt, haud secus, ac si fœdus cum morte percusserint, & pactum cum inferno, Esa. 28. v. 15.

Tempore Christi, peculiaris inter Judæos secta, Sadducæorum videlicet, erat, qui mortuorum resurrectionem abnegabant, Matth. 22. v. 23. Quin & alii irrisores occurrebant, dicentes: Ubi est promissio, aut adventus ejus, 2. Petr. 3. vers. 4. Adhuc hodie inter Christianos non pauci inveniuntur, qui vitâ suâ profanâ & impiâ, se mortuorum resurrectionem, extremum judicium, & vitam æternam cum inferno, non ex animo credere, testantur. Ideò illudunt peccato, Prov. 14. v. 9. & malum manuum suarum dicunt bonum, Mich. 7. vers. 3.

Hoc arguit Spiritus Sanctus passim in sacra scriptura, imprimis verò, Malach. 3. vers. 14.

Fungitur autem Spiritus Sanctus munere hoc elenctico non in propria persona, seu visibili specie, sed per ministros suos, qui sunt pii Pastores, unde etiam officium eorum *ministerium Spiritus* dicitur.

Hoc Pastores & verbi ministri accuratè perpendant, ne labia sua prohibeant, Psal. 40. vers. 10. sed clament, & non cessent, Esa. 58. v. 1. secus enim, canes muti sunt, Esa. 56. v. 10. quorum pars aliquando erit in stagno sulphuris & ignis, Apocal. 22. vers. 8.

Audi-

Auditores vero quando ob peccata arguuntur, non repugnare debent, non enim hic causa hominis, sed Spiritus Sancti agitur, unde grave ipsis erit, adversus stimulum calcitrare, Act. 9. v. 5. Meliora sunt vulnera amici, quam fraudulenta oscula inimici. Prov. 27. v. 6.

III. *Tanquam infirmitatis nostræ tolerator.* Quia enim Discipuli ejus propter abitum Christi ad patrē tristitiā impleti erant, ideo afflictis non vult porro addere afflictionem, sed captui eorum inserviens, ait: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed nunc non potestis portare? Quæ verba non ita intelligenda sunt, ut Pontificii intelligunt, ac si Scriptura imperfecta sit. Christus enim discipulis suis omnia satis perspicue dixit: quia vero falsa illa persuasione imbuti erant, CHRISTI regnum terrenum fore, ideo non capere poterant, quod iisdem de habitu ad patrem inculcabat, interea tamen nihil ipsos celavit, sed omnia manifestavit, Joh. 15. v. 15.

In festo vero Pentecostes virtute ex alto instructi sunt, ut omnia, quæ ante non capiebant, satis dextre intelligerent, & magnalia Dei, variis linguis cum omnium stupore, & admiratione loquerentur, Act. 2. v. 11. Ideoque ait: Hæc locutus sum vobis, apud vos manens. Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. Joh. 14. v. 26.

Discant hinc verbi ministri, quomodo & ipsi captui Auditorum sese attemperare, & simpliciores farragine doctrinarum non obruere debeant, non enim possunt id portare. Sed ut matercula infantulum non

non carnibus affatis: sed lacte nutrit; ita & pastores Auditores suos, qui ut plurimum ex simplicioribus constant, lacte pascere debent, ut in fide crescant, & abundant magis. 1. Thess. 4. v. 1.

Evangelistæ Johanni calamus dabatur, similis virgæ, eo templum Dei, & altare, & adorantes in eo metiri tenebatur, Apoc. 11. v. 1.

Johannes hic typus est, omnium Pastorum, omnibus enim dictum est: Fac opus Evangelistæ, 2. Tim. 4. v. 5. sicut igitur Johanni calamus similis virgæ datus, quo templum & altare, & adorantes in eo metiri oportebat eum: Sic & verbi ministri attendere debent gregi, in quo Spiritus Sanctus eos Episcopos posuit, Act. 10. v. 28. & quasi metiri captum Auditorum, quantum in rebus fidei capere possint, ut sciant, an lacte vel solido cibo opus sit. Heb. 5. v. 12. Omnium enim scriba doctus ad regnum cælorum, nova & vetera proferre debet, Matth. 13. v. 52. h. e. legem & Evangelium, ut pro ratione personarum arguere & consolari possit, Esa. 50. v. 4. Imò ita Auditoribus sese accommodare debet, ut omnibus omnia fiat, ut omnino aliquos faciat salvos, 1. Cor. 9. v. 22. Vivimus enim adhuc in terra oblivionis, Psal. 88. v. 13. & renovamur de die in diem, 2. Cor. 4. v. 16. Donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionem filii Dei, in virum perfectum, Eph. 4. v. 13. Fiet hoc in vita æterna, quam omnibus Deus largiatur per Christum, Dominum & Salvatorem nostrum,

Amen.

[o]